



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. IIII. Vtrum ad omne bonum opus morale sit necessaria gratia
sanctificans, & consequenter an existens in statu peccati mortalis possit
interdum bene moraliter operari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

CAPVT IV.

Vtrum ad omne bonum opus morale sit necessaria gratia sanctificans, & consequenter, an existens in statu peccati mortalis possit interdum bene moraliter operari?

^{1.} *Apertur quæstio.*
Cum dictum sit, lapsum hominem posse interdum bene moraliter operari, declarandum superest, quibus viribus id possit, vel quam necessaria sit gratia ad huiusmodi opus, quæ controuersia his temporibus valde disceptata, & agitata est, & ideo diligentius est tractanda, incipimusque à statu naturæ lapsæ tanquam nobis notiori, postea vero ad cæteros status doctrinam accommodabimus. Loquimur non de collectione bonorum actuum, nec de continuatione illorum sine defectu, nec de omnibus, & singulis actibus etiam perfectissimis, sed tantum indehinc, an saltem aliquis actus bonus, etiam minimus, virtutis saltem acquirat, possit à peccatore fieri, vel è contrario, vniuersalis sit quæstio, distributio autem cadat super gratiæ necessitatem, scilicet, an gratia sit necessaria ad omnia, & singula opera bona, etiam minima, & naturalis ordinis, quæ nunc moralia simpliciter vocamus. Denique in hoc capite specialiter tractamus de gratia sanctificante, de alijs vero donis, vel gratiæ auxilijs dicemus in sequentibus.

^{2.} *Hæreticorum error in suis fundamentis in quibus præsumunt.*
Hæretici ergo superiori capite allegati, qui negant, posse hominem lapsum aliquid boni operari, à fortiori id ipsum dicunt de homine lapso, & in statu peccati existente. Nam de illo non solum dicunt, semper peccare, sed etiam peccatum semper illi imputari. Procedunt autem in suis principijs erroneis, putant enim hominem iustificari per solam fidem particularem, quæ credit firmiter, sibi non imputari peccata, & solum incredulitatem huic fidei contrariam putant esse peccatum; ita vt imputetur, & ideo consequenter dicunt, hominem, si sit in statu peccati, necessario carere illa fide, & consequenter omnia eius opera, quæ mala esse supponunt, illi etiam imputari. Nec aliam rationem nouam habere ad hoc commentum afferendum. Illa vero duo fundamenta heretica sunt, & stultissima. Nam primum de malitia omnium operum moralium hominis lapsi iam reprobaturum est. Aliud vero de fide particulari, & non imputatione peccatorum, postea confutandum est, & ideo nulla rationum superest, quam proponamus.

^{3.} *Immo hæreticorum error in rebus, Conc. Const.*
Aliter docuit hunc errorem Ioan. Hus dicens, omnia opera peccatoris esse peccata, quia peccatum in operante manens omnia eius opera maculat. Ita refertur in Conc. Constant. sess. 15. estq. art. 16. illius; & cum alijs articulis damnatur. Afferriq. solent ad confirmationem huius erroris duo præcipue Scripturæ testimonia. Vnum est Isai. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum &c.* Et infra. *Ne offeratis vitula sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, vsque ad illud, cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim replete sanguine plene sunt.* Vbi Deus has omnes operationes de se bonas detestatur, solum quia à peccatoribus etiam fidelibus fiebant. Aliud testimonium est Matt. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere: nam voluntas à Deo auersa mala arbor est, ergo non potest facere fructum bonæ operationis.*

^{4.} *Idem error aueritur quidam Catholicis.*
Ex scholasticis antiquis refertur pro hac sententia Dion. Cisterciensis à Vega lib. 1. in Trident. cap. 21. tribuit enim illi, quod dixerit, nullum præceptum posse impleri ab homine in peccato mortali existente. Non tamen designat locum, nec ego inuenio. Quin potius idem Dion. in 2. dist. 25. q. 1. art. 2. refert opinionem cuiusdam Brauardini, qui dixit, quemlibet actum desideratum voluntatis creatæ, existentis in peccato

mortali esse malum, eamq. impugnat. Pro illa tamen sententia pugnat vehementer Catherin. in c. 3. Gen. circa verba illa, *Adam vides?* Quatenus contendit, non posse actum esse moraliter bonum, nisi & ab habitu virtutis procedat, & in Deum super omnia dilectum ab ipso met operante referatur, vel actu, vel virtute; & his duabus rationibus maxime sententiam illam confirmat, nimirum, quia existens in peccato mortali, nunquam potest operari propter finem debitum. Tenetur enim referre omnia opera sua in Deum super omnia dilectum, quod in eo statu facere non potest, cum Deum non ita diligat. Itē quia tenetur operari ex habitu virtutis, & ideo si actus non à virtute eliciatur, non erit absolute bonus, seu virtuosus, quia caret perfectione sibi debita. Assumptum probat, quia homo ab initio sic conditus fuit, vt iustitiam habere posset, & deberet, & consequenter ex illa operari. Vnde sicut homo nunc nascitur in peccato, quia caret iustitia, quam habere deberet, ita quoties sine iustitia operatur, licet bonum videatur operari, peccaminose operatur, quia, non sicut debet, operatur.

^{5.} *Baius ad ad dem errorem accedit.*
Ad hanc sententiam accessit Michael Baius; nam inter eius articulos in Bulla Pij V. 35. est, *Omne, quod agit peccator, aut seruum peccati, peccatum est.* Item in propositione 50. & 51. dicit motus concupiscentiæ etiam inuoluntarios esse peccata, & in 74. addit, in homine etiam renato, & in peccatum lapso concupiscentiam esse peccatum, & in 75. ait, eundem motum esse transgressionem legis. *Non concupiscis.* Et in 40. addit, *Peccator in omnibus suis actibus seruit dominanti cupiditati.* Quibus omnibus propositionibus recte perpenis, & inter se collatis, aperte constat, Baium in hoc puncto non differre ab hæreticis. Accedit altera eius propositio, quæ est 38. & sic habet, *Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, quam mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Quæ videtur esse basis eius doctrinæ totius: nam subsumendo, peccatorem non diligere Deum illa laudabili charitate, plane sequitur, eum semper operari praua, quia omnis hominis operatio est ex aliquo amore; ergo in peccatore est ex vitiosa cupiditate à Ioanne reprehensa; ergo est peccatum. Aduertendum autem ulterius est, hunc authorem habere aliam sententiam singularem, scilicet, posse interdum hominem habere veram gratiam, & charitatem infusam, & nihilominus simul esse in peccato, vt habet in proposit. 30. 31. 32. 71. &c. Ratio erga illa maxime habet locum in peccatore carente charitate, quid vero senserit de hominibus charitatem habentibus, dicam in sequentibus.

^{6.} *Propositio catholica.*
Veritas ergo catholica in duabus propositionibus consistit. Prima est, homo existens in peccato mortali potest habere multos actus bonos, qui nullo modo peccata sint. Quæ assertio nunc ponitur abstrahendo ab actibus factis per auxilium gratiæ, vel sine illo. Et sic conclusio est de fide definita in Concilio Tridentino sessio. 6. can. 7. vbi anathemate ferit dicētes, omnia opera, quæ ante iustificationem sunt, esse peccata. Nam ante iustificationem homo in peccato existit, quia vel in peccato est conceptus, si nondum ab originali iustificatus est, vel in peccato actuali, seu habituali perseverat, si iustitiam baptismalem amisit, & iterum iustificatus non est: neutrum enim peccatum tollitur, nisi per iustificationem, vt idem Concilium ibidem docet cap. 7. & sessio. 5. Posset autem quis fugere dicendo, Concilium nō definire, talia opera esse peccata, sed tantum non omnia esse peccata, quod esset verum, si aliqua essent indifferentia, licet non omnia essent bona. At hoc alienum est à mente Concilij, sed loquitur iuxta communem sensum, in quo non dicitur de aliquo opere non esse peccatum, nisi quando bonū est, quia moraliter non habetur ratio operū indifferentium, quæ in indiuiduo vel nulla, vel rara sunt. Eo vel maxime, quod id maxime dicit Concilium

cilium propter dispositiones ad gratiam, quas bonas esse oportet, & in eodem sensu de illis statim definit, nō peccari in illis propter vehementiorem conatum, cum tamen cap. 7. docuisset, tales dispositiones esse bonas, & quo feruētiores sunt, magis prodesse. Quod iterum docet selsion. 14. capit. 4. & canon. 5. Idemque sumitur ex Concilio Araulicano capit. 4. quinto, & sequentibus, ubi docet initium bonæ voluntatis, & alios bonos affectus, quibus homo paulatim ad iustitiam perducitur, esse Spiritus Sancti dona, & ex Spiritus Sancti auxilio tanquam bona opera, licet fiant ab homine adhuc peccatore.

Conc. Araul-
sican.

7.
Probatur ex
Scriptura.

Vnde potest eadem veritas probari ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus peccatores inuitantur ad huiusmodi actus, quibus possint à Deo aliquid boni, vel meliorem statum impetrare, vel ad illum aequaliter disponi. Sic oratio, non tantum iustis, sed etiam peccatoribus utilis est. Omnibus enim proponitur oratio Dominica, qua petant, *Dimitte nobis debita nostra*, & alia bona. Et similiter Christus omnes indifferenter hortatur ad orandum, etiam peccatores, & specialiter id significat Lucæ 11. & 18. ubi latius dixi lib. 1. de Orat. cap. 12. & 25. Idem de elemosyna dicit Christus Lucæ 11. *Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Vbi ad peccatores loquitur, ut constat ex contextu, & ex omnibus Patribus, & non significat, elemosynam sufficere ad iustitiam, sed multum præparare ad illam, sicut Tobia 4. *Elemosyna à morteliberat*.

8.
Amplius
probatur.

Vnde actor. 10. dixit Angelus Cornelio, *Orationes tuæ, & elemosyna tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Et tamen eo tempore nondum Cornelium fuisse iustum, sentiunt Chrysostom. homil. de fid. leg. naturæ, & Spiritu Sancto in tom. 3. ubi opera illa Cornelij dicit fuisse bona, sed mortua. Idem orat. de Anima tom. 5. Sequuntur Theophylact. & Oecumen. Actor. 10. Qui etiam sentiunt, neque fidem habuisse tunc Cornelium, sed vsum tantum rectum legis naturæ. Augustinus item, licet credat, Cornelium iam habuisse fidem Dei, sentit nihilominus nondum fuisse iustificatum in epist. 57. quæstion. 2. Nam cum dixisset, Deum non inhabitare ut in templo, nisi in his, quos eruit à potestate tenebrarum, & transfert in regnum Filij charitatis suæ: addit nihilominus, aliquid virtutis interdum operari in his, in quibus nondum sic habitat, in exemplumque horum posteriorum adducit Cornelium. Et quæst. 2. ad simpli. de eodem ait, fuisse tunc fidem in Cornelio, sed non tantam, quæ sufficeret ad regnum celorum. Idemque significat lib. de Prædestinat. Sanctior. cap. 7.

9.
Cornelij ex-
emplum ad
alia perutile
expenditur.

Exemplum hoc de Cornelio aptum quidem non est ad assertionem confirmandam, est enim valde incertum ad rem certam comprobendam; quia vero ad multa alia, quæ in discursu materiæ occurrunt, utile est, breuiter expendendum est. Tria enim tempora in Cornelio distinguenda sunt. Primum est, quando ei Angelus apparuit; secundum est, quando Petrus ad illum venit, eumque veluti catechumenum in fide instruxit; tertium, quando baptizatus est. De hoc ergo tertio certum est, recepisse gratiam Baptismi, ac subinde fuisse iustificatum secundum, vel (ut sic dicam) tertia iustificatione. De secundo etiam tempore certum est, fuisse fidelem, & iustificatum, cum statim ante Baptismum Spiritum Sanctum visibiliter receperit. Illa vero duo tempora non referunt. Sed difficultas est, de primo tempore, & videtur res ambigua; nam quod tunc non fuerit iustus plane sentiunt Chrysostom. & Oecumen. & indicat Augustinus citatis locis, & maxime quæstion. 33. in Numer. ubi dicit, veniente Petro, fuisse Cornelium mundatum per Spiritus Sancti aduentum. Nihilominus probabilius censeo, ipsum fuisse iustum, quando Angelus ei loquutus est. Nam quod habuerit fidem, negari non potest, cum oratio-

Difficultas.

Soluitur.

nes funderet, sicut oportet, quod non fit sine fide, ut libr. primo, de Orat. ostendi, & Augustinus probat ex illo Pauli Romanor. 10. *Quomodo inuitabunt eum, in quem non crediderunt*. Et notat D. Th. 2. 2. q. decima, art. 4. ad 3. Quod autem illa fides iam esset viuam, probatur primo, generali, & (ut sic dicam) iuridica ratione, quia non est, cur credatur fuisse mortua; ergo præsumendum potius est, fuisse viuam. Antecedens probatur, quia ex parte fidei iam sufficienter credebatur ad iustificationem, quia non erat tunc necessaria explicata fides Christi gentibus, cum nondum illis prædicaretur Euangelium, vnde si qui erant inter Gentiles credentes in verum Deum iustitiæ fontem, per illam disponi poterant, & ita iustificari; ergo nec ex parte voluntatis credendum est, aliquid necessarium ad iustitiam ei de fuisse. Probatur hæc consequentia, tum quia vnusquisque præsumitur bonus, si non probeur malus.

Maxime quia verba Lucæ hoc satis clare indicant, nam illum vocat *Religiosum*, id est, ex fide verum Deum colentem, *Timentem Deum*, id est, illum non offendentem, ille enim est verus timor Dei, qui homines ab illius offensione continet, & ita etiam videtur iam vox illa communi vso usurpata. Addit præterea audiuisse ab Angelo, elemosynas suas, & orationes ascendisse in memoriam Dei, utique ut illi placitas, quod non haberet, nisi essent ab homine iusto. Imo illud testimonium cum tam singulari fauore, & prouidentia concessum, satis profecto indicat non paruum hominis pietatem, & iustitiam. Accedunt verba dicta Petro in visione. *Quod Deus purificauit, tu commune nederis*. Et maxime dicta ab ipso Petro ipsi Cornelio, postquam visionem eius audiuit, *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, quæ timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Sentit ergo, Cornelium iam fuisse acceptum Deo, iamque fuisse operatum iustitiam, hoc est autem esse iustum.

Neque ab hac sententia alienus est Chrys. ibi hom. 12. dicens, *Sic & dogmata, & vita illius recta fuerunt*, Vtique ante Angeli visionem. Apertius Beda ibi dicens, per fidem bene operatum esse, & placuisse Deo, & apud illum Euangelij prædicationem meruisse. Sumpsitque ex Gregorio, quem refert in hom. 19. in Ezechiel. ubi declarat, quod hom. 9. obsecutus dixerat, antequam Cornelius fidelis esset, per bona opera meruisse audiri, per fidelem enim intelligit ibi Christianum, seu explicitè credentem in Christum, & baptizatum. Ita etiam de Cornelio videtur sensisse Hier. ad Galat. 3. in principio, dicit enim consequutum esse spiritum per fidem, & legem naturalem, sicut antiquos fideles. Nec Augustinus alienus est ab hac sententia, nam lib. 1. de Baptism. cap. 8. solum dicit, à Petro didicisse fidem Christi, & lib. 4. cap. 21. clarius comparat Cornelium catechumeno, *Diuina charitate flagranti*, eumque dicit, ante Baptismum Spiritu Sancto fuisse repletum. Sed hæc ad secundum tempus referri possunt. At inferius addit, *Non improbamus iustitiam hominis, quæ prius esse cepit, quam coniungeretur Ecclesie sicut esse ceperat iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana*. Loquiturque ante aduentum Petri, nam subdit, *Quæneg, si improbaretur, dixisset ei Angelus, accepta sunt elemosynæ tuæ, & neg, si sufficeret ad capessendum regnum celorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur*. Vbi non dicit, fuisse necessarium ad iustitiam, vel remissionem peccatorum, sed ad capessendum regnum celorum, quia per se erat necessarius Baptismus, & iam venerat tempus, quo gentibus prædicari oportebat.

Et hunc esse sensum Augustini patet ex dicta quæst. 2. ad Simplician. ubi ait, in Cornelio ante Baptismum non fuisse fidem, quæ sufficeret ad regnum celorum, alia August. loca, & idem dicit de catechumeno, & tamen constat ante Baptismum fuisse Cornelium iustum, ut ipse etiam affirmat q. 84. in Leuit. & 33. in Nu. & idem sæpe contingit in catechumenis, & in lib. 50. hom. in 45. alias 19. in appendice dicit, *Iam Deus mundauerat Cornelium*, quan-

Iuridica ra-
tio.

10.
Cornelius
iam iustus
erat, cum di-
Angeli ap-
paruit iuxta
D. Lucam.

11.
In idem co-
sentimus Pa-
tribus.

quando Petrus in visione dixit, quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Dicit autem mundasse secundum certum quendam modum, quem modum ipse non explicat, videtur tamen intelligendus, vel quia iustificatus fuit quasi in voto Baptismi, saltem implicite, vt exposuit D. Thomas. 3. p. quæstion. 69. artic. 4. ad 2. vel quia illa non erat iustificatio omnino perfecta quoad plenitudinem gratiæ, & remissionis peccatorum, sicut postea perfecta fuit per aduentum Spiritus sancti, & per Baptismum, & ita potest facile alijs locis exponi.

13. Præterea fauet huic sententiæ Cyprianus in lib. de Orat. Domini, versus finem, cum ait, orationem Cornelij ex merito eius ascendisse ad Deum, quia cito orationes ad Deum ascendunt, quas apud Deum merita nostri operis imponunt. Et comparat illas orationes cum orationibus Saræ, & Tobie, & verba Angeli loquentis ad Cornelium cum verbis Angeli loquentis ad Tobiam, Tobiam 12. Denique in eadem sententia videtur fuisse Tertullianus lib. aduersus Pſychicos cap. octauo, in fine, ubi laudans ieiunium ait, Cur triste, quod salutare? Docuit Dominus aduersus diriora demonia ieiunij præludum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus educitur, quæ sanctus inducitur. Denique vt in centurionem Cornelium, necdum tinctum dignatio Spiritus Sancti cum charismate insuper prophetia festinasset, ieiunia eius legimus exaudita. Vbi constat, loqui de illo, etiam pro illo tempore, quo illi apparuit Angelus, illam enim visionem vocat charissima prophetia, & tunc dicit, iam festinasse ad illum Spiritum sanctum.

14. Ex illo ergo exemplo nihil in præsentem probatur, Chrysostomus autem, & alij, qui existimant ieiunia, & orationem Cornelij mortua fuisse, rectè confirmant assertionem, supponunt enim, in homine non iustificatio posse esse opera bona, licet mortua, nam si non sint bona non erunt mortua, sed mortifera, & ita ex appellatione hac operum mortuorum etiam confirmatur assertio: constat enim dari talia opera, non solum ex communione consensu Theologorum, sed etiam ex toto cap. 2. & 3. Apocal. ubi id notat Ambrosius cap. 3. dicens, Quilibet bona mortua sunt, si charitas defuerit. Idem significat Augustinus lib. 1. de Gratia Christi cap. 6. dicens, opera bona sine charitate facta non imputari, addit verò, Si tamen bona dicenda sunt. Quod infra explicabitur. Imo hic videtur esse sensus Pauli 1. Corinth. 13. dicens, Si dederò in cibos pauperum, &c. Et ita communiter exponitur.

15. Præterea est aliud principium, vnde veritas eadem confirmatur, scilicet posse aliquem seruare multa præcepta, licet vnum transgrediatur, vt indicauit Iacob. cap. 2. dicens, Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Vtique quoad inimicitiam cum Deo: non quoad malitiam; ergo inimicus Dei potest aliqua præcepta seruare; ergo & opus bonum facere, nam qui male operatur, iam transgreditur aliquod præceptum. Sic etiam dixit Basilus homil. 7. in diuites auaros, multos esse, qui cætera præcepta seruant, & elemosynas non faciunt, & subdit: Quid hic cætera virtutum diligentia prodest, non propterea regnum Dei consequentur. Erant ergo peccatores multas virtutes operantes. Ratio denique assertionis est, quia potest peccatum esse habitualiter in anima, & non influere in actum, qui postea fit, sicut potest quis habere habitum intemperantiæ, & actum aliquem temperantiæ facere, & sic de alijs; ergo non est cur homo peccator non possit bonum opus facere. Item in puris naturalibus id posset, vt suppono, & peccatum habituale non minuit vires, vt probauimus, nec influit in actum, quia hoc pendet ex libertate voluntatis; ergo.

16. Secunda propositio est, gratiam habitualem, vel charitatem non esse necessariam ad omne opus bonum. Est directe contra Baium, & quidem etiam

contra Catherinum. Et videtur mihi æque tradita in Tridentino. Nam opera ante iustificationem intelliguntur à Concilio esse illa, quæ sunt ante infusionem virtutum, & donorum, sine quibus non fit iustificatio. Item quia hæc dona non dantur sine remissione peccati, vt infra ostendemus. Ratio autem propria est, quia duobus modis potest cogitari status gratiæ necessarius ad omne opus bonum, vel ratione principij efficientis, vel in ratione finis, qui est principium quasi morale bene operandi, nec potest cogitari alia ratio necessitatis, quia solum impedimentum fomicis non obstat, pro singulis operibus, vt dixi, & per se clarum est, & sæpe in sequentibus dicitur. Sed ex neutro capite illorum datur talis necessitas; ergo. Probat minor quoad primam partem, quia gratia, & sanctitas infusa non est principium efficiens per se requisitum ad bona opera omnia, dantur enim bona opera ordinis naturalis, quæ non procedunt ab habitibus infusis; ergo propter illa non sunt per se necessarij. Item talia opera possunt esse in homine in puris naturalibus, & in quo non essent tales habitus. Et nunc homo iustificatus potest facere talia opera non vtendo habitibus infusis. Dantur præterea opera bona supernaturalia, quæ per auxilium & motionem Dei fieri possunt sine habitu, vt de mercede gehennæ, & de contritione imperfecta Tridentinum supra definiit. Et etiam communiter Theologi distinguunt opus procedens ab Spiritu sancto mouente, & nondum inhabitante, vel procedens ab inhabitante Spiritu sancto, & est distinctio conformis Augustino, vt infra suo loco videbimus, ergo propter efficientiam boni operis non semper est necessaria gratia habitualis. Altera vero pars de finalicausa, probabitur plenius in sequentibus. Nunc probatur breuiter, quia non est de necessitate boni operis, vt fiat propter Deum solum dilectum per infusam charitatem, nullum enim est de hac re datum præceptum, vt probat D. Thomas. 2. quæst. 100. artic. 10. & nostradidimus in lib. 2. de Legib. & patet breuiter, quia tale præceptum nec positum est, quia nullibi scriptum, aut traditum inuenitur, nec naturale, quia nec mera ratio naturalis id dicit, cum non cognoscat dilectionem infusam, nec ipsam etiam naturalem dilectionem Dei super omnia, vt circumstantiam omnium bonorum præcipiat, vt paulo post ostendam. Nec etiam ratio fide illustrata illud dicit, quia etiam homo iustificatus ad hoc non semper obligatur, vt est notum apud omnes, & ex sequentibus euidentius constabit.

Supere est ad hæreticorum duo fundamenta seu loca adducta num. 3. respondere. Et in primis ad locum Iſaiæ aliqui volunt, in sacrificij, & solemnitarum celebratione necessariam circumstantiam ad bonitatem moralem esse, vt sacrificans in gratia sit, propter sanctitatem operis, quod ad Deum placandum, vel gratificandum, vel aliquid ab eo impetrandum offert. Sed hoc, licet locum habeat in sacrificio legis gratiæ propter singularem eius sanctitatem, non tamen in sacrificio communi, & ex natura rei. Nam in oratione, de qua est eadem ratio, non est necessaria illa circumstantia, vt lib. 1. de Orat. cap. 24. & 25. dixi, nec est vlla ratio, vnde illa specialis necessitas in sacrificijs legis veteris inueniatur. Vera ergo responsio est, ibi non reprehendi sacrificia, sed sacrificantes, quia sacrificijs contenti, alia bona opera mittebant, totamque sanctitatem suam in illis sacrificijs collocabant, vt late dixi tomo 3. disput. 73. sect. ult. & possemus nunc addere iuxta frequentem doctrinam Augustini non placuisse Deo illa sacrificia, quia non fiebant ex amore iustitiæ, sed spiritu seruilis, & pure propter vitandam aliquam penam, sine cuius timore non fierent. Nam lib. 1. contra duas epist. Pelagianor. cap. 9. dicit

Tridentinum
videtur il-
lam tradere.

Illius pro-
prio ratio.

Pars pro-
batur.

17.
Reijciunt
quodam ex a-
postolo loch.
Iſaiæ.

Vera expositio non sacrifi-
cia, sed sa-
crificantes
reprehendi.

dicit August. Paulum, quamvis de se dicat, secundum iustitiam legis fuisse sine querela, nihilominus potuisse non placere Deo in illis operibus, quia spiritu servili illa faciebat; ergo multo magis id credibile est de illis magnis peccatoribus, quorum sacrificia offerrentur à peccatoribus sana intentione, & cum debitis circumstantiis, non essent mala, nec displicerent Deo ratione sui, vel in ordine ad aliquod supplicium, licet ratione personæ non essent accepta, nec fortasse fructuosa. Quod etiam per quandam exaggerationem, & ad incutiendum timorem potuit illis verbis indicari.

18. *Secundum uero ex Matt. explicatur.* Ad testimonium Matth. 7. generalis responsio esse potest, sensum illius pronuntiati Christi Domini, *Non potest arbor bona, &c.* esse formalem, quia si ut bona operetur, facit fructus bonos, & non malos, & è contrario. At vero si arbor sit libera, ut est homo, quia semper habet naturam bonam, potest, licet malus sit, non operari ut malus, sed ut habet voluntatem, & rationem de se bonam. In particulari vero iuxta circumstantias loci applicanda erit regula, seu responsio ad varias arbores. Ut in dicto loco Matth. 7. sermo est de fide, seu doctrina, & bona arbor dicitur sana doctrina, mala vero doctrina hæretica, seu falsa: tractat enim Christus de veris, & falsis prophetis, & quia hi solent operari iuxta fidem suam, ideo de illis dicitur, ex fructibus esse cognoscendos, quia fieri non potest, quin sæpe operentur iuxta fidem suam, & tunc ex mente mala oriuntur actiones malæ, & ex bona bonæ. Aliquando vero arbor bona dicitur homo ratione voluntatis bonæ, & mala arbor ratione voluntatis vitiosæ, ut in simili loco Matth. 12. ait Christus, *Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam.* Supponens, hoc esse in libertate voluntatis, & tunc etiam optimè applicatur regula, & ita eadem voluntas, quæ diuersis rationibus bona, & mala est, potest nunc bene, nunc male operari.

19. *Replica.* Dices, ergo simpliciter verum non est, arborem malam non posse bonos fructus facere, nec etiam est verum, ex fructibus cognosci talem arborem, quia potest esse mala, & non ut mala operari. Respondet Maldonat. ibi, impossibile, ibi sumi pro difficili, & illud signum esse probabile, & moralem coniecturam: non evidens principium, quod est probabile. Dici etiam potest, illud non potest, non referri ad singulos actus, sed ad integritatem vitæ, vel doctrinæ. Nam falsus propheta multa vera docebit, tamen si tota doctrina inspicitur, semper aliquid falsum miscbit. Item hypocrita sæpe bene operatur, & vere, tamen si observetur, tandem exhibebit fructum suæ hypocrisis. Et similiter in nostro puncto peccator interdum bene operari poterit, tamen si in eo statu perseveret, fructum malum proferet. Et ratio est, quia licet causa libera possit diuersis modis operari, tamen si male affecta sit, non poterit se continere, quin interdum ita operetur.

20. *Ad verum, Catharini fundamenti responsio.* Ad Catharinum respondemus, falsum esse vtrumque eius fundamentum. Et de primo quidem, scilicet, de circumstantia ultimi finis sæpius in sequentibus capitulis dicendum est, nunc breuiter dicimus, ad bonitatem actus non esse necessarium, ut fiat ab homine referente sua opera in Deum super omnia dilectum per proprium actum præsentem, vel præteritum, alioqui peccaret etiam baptizatus, & iustus aliquid operans ante actum dilectionis Dei super omnia: peccaret etiam denique peccator, qui ante iustificationem & dilectionem Dei super omnia attritionem, aut alium similem actum poenitentiae, orationis, vel elemosynæ efficeret. Vnde necessarium non est ad bonitatem moralem actus, quod homo habitualiter diligat Deum super omnia, aliàs eadem absurda sequerentur. Ratio vero est, quia talis relatio, seu circumstantia nec ex natura rei necessaria est, nec per legem Dei positivam inuenitur præcepta, sufficit

enim, ut actus sit de bono obiecto propter honestatem eius, & quod in eo finis ultimus non constituat, nec alia praua circumstantia addatur, ut sit bonus simpliciter, & ut per se tendat in Deum ultimum finem, licet ab operante aliter non referatur. Alterum fundamentum ad Lutheranorum errorem accedit: nam ex illo inferri potest, vel omnia opera hominis lapsi esse peccata, vel saltem omnia opera hominis nondum iustificati. Respondetur ergo, licet carentia iustitiæ, id est, gratiæ habitualis, aliquo modo voluntaria, sit peccatum, nihilominus non semper peccare, qui aliquo tempore permanet in illo statu, & ideo, non etiam peccare, etiam si in illo statu aliquid boni operetur. Adde, etiam iustum sæpe operari bonum non ex habitu, quia potest esse iustus non habens habitus acquiratarum virtutum, & operari actus ad illas tantum pertinentes; illi ergo actus non erunt ex habitu acquisito, quia non est, neque ex infuso, quia non est principium talium actuum; ergo etiam illi actus essent mali, quod absurdissimum est. Possunt autem illi actus dici fieri cum habitu, gratiæ, seu infuso, hæc autem necesse est propria circumstantia talis operis, nec conditio ad bonitatem eius necessaria, quia nulla lege præcipitur, ut dictum est.

Ad Baium etiam ex dictis facilis est responsio: Nam imprimis distinctio illa de peccatore simul iustificato, vel carente iustitia, ut erronea reiicienda est, quia non datur talis status, veram iustitiam cum mortali peccato coniungens, & est impertinens, quia ostensum est, etiam sine habitu gratiæ posse peccatorem interdum bene operari. Deinde omnes propositiones relatæ ante ultimam, ex dictis explosæ sunt, grauissimosque continent errores, & plane voluntarios sine ullo fundamento. Ultima etiam, seu 38. propositio, quod duplex tantum sit amor, vitiosus, vel charitatis; falsa est quoad exclusionem, datur enim etiam amor naturalis Dei. Item amor spei, seu sanctæ concupiscentiæ eiusdem Dei, item amor boni honesti, vel in genere, vel in particulari, & omnes isti amores ex genere suo boni sunt, & possunt esse in peccatore sine circumstantia mala.

CAPVT V.

Quid Augustinus senserit de operibus factis ab homine in peccato, seu charitate carente.

Contra doctrinam capituli superioris afferri possunt multa ex Augustini doctrina, in quibus Baius suam sententiam fundat, quæ, quia difficultate non carent, & ad sequentia possunt esse utilia, & necessaria, diligentius tractanda sunt. Primo ergo obstat, quod in libro 1. retract. cap. 15. ait, *Quantum loci est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si 1. Locum.* pia est, utoret auxilium. Sentit ergo impiam nihil boni posse, vnde addit, *In tantum libera est, in quantum libera est, & in tantum appellatur voluntas.* Quid est autem esse liberatam, nisi esse iustificatam à peccato. Vnde subiungit, *Alioquin potius cupiditas, quam voluntas appellanda est.* Dicitque, hoc esse vitium, à quo non sanamur, nisi gratia Salvatoris. Et propterea solent ex hoc loco Augustini referri hæc verba, *Voluntas sine charitate non est, nisi vitiosa cupiditas.* Quæ in illo formaliter non inuenio, licet aliquid simile significauerit lib. 3. de Doctr. Christian. cap. 10. de quo loco inferius dicam. Secundo, lib. de Mori. Ecclesiæ, cum cap. 14. dixisset, esse beatum nihil aliud esse, quam inherere summo bono, quod est Deus solus, cui inherere non valeamus, nisi dilectione, amore, charitate. Subiungit cap. 15. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Et hinc virtutes omnes morales per Dei amorem postea definit.

Ter-